

Ostiarum.

Fr. Paulus Pellistri.
Dominicus Cergnossi.
Ioannes Cecconi.

Cursores.

Dominicus Cergnossi.
Ioannes Cecconi.

CONSULTORES CONCILII

Illūmus ac Rēmus D. Petrus Corvi, Praelatus domesticus S. S. et
Protonotarius Apostolicus *ad instar*.
» » » Joseph Mansella, Praelatus domesticus S. S.
» » » Pacificus Pierantonelli, Praelatus domesti-
cus S. S.
Rēmus Pater M. Thomas Rodriguez, Prior Generalis Eremitar.
S. Augustini.
Rēmus Pater Joseph Calasantius a Llevaneras, Ord. Min. Cap.
Rēmus Pater M. Hieronymus Coderch, O. P.
» » Franciscus Xav. Wernz, S. I.
» » Ianuarius Bucceroni, S. I.

EX ACTIS SESSIONUM ET CONGREGATIONUM

SESSIO SOLEMNIS PRIMA.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii,
et Spiritus Sancti. Amen.

Anno Domini millesimo octingentesimo nonagesimo nono,
Dominica SS. Trinitatis, die vigesima octava Maii, habita est

prima Sessio et sollemnis aperiitio Concilii Plenarii Americae Latinae in ecclesia Collegii Pii Latini Americani. Elenchus Illustrissimorum et Reverendissimorum Patrum huius Concilii ex integro ponitur supra, pag. XXXVIII. Praeter Episcopos, convenerunt etiam Rēmi Magistri Apostolicarum Caeremoniarum, Consultores, Moderatores et alumni Collegii Pii Latini Americani, alique permulti clerici saeculares et regulares, et laici plurimi. Et auspicio factum est, ut hanc sollemnitatem aperiitionis Concilii cum Episcopis simul celebrarent multi etiam ex utroque Clero et populo Americae Latinae in Urbe commorantes, multique sacro ministerio vel religiosa professione latino-americani.

Hora nona cum dimidio, Eūmus et Rēmus D. Cardinalis Angelus Di Pietro, S. C. C. Praefectus, Delegatus a SS. D. N. Leone PP. XIII, sacra purpura indutus, ad Collegium Pium Latinum Americanum se contulit, a duobus Archiepiscopis et duobus Episcopis senioribus cum Collegii praepositis et alumnis honorifice, ut decet, exceptus est, et ad ecclesiam eiusdem Collegii, quae facta est Aula Conciliaris, accessit, Rēmis Patribus obviam ad ostium procedentibus.

Eūmus Cardinalis Delegatus dictis precibus, de mandato et nomine Sanctitatis Suae, Rēmos Patres peramantissime salutavit et ad synodales labores alacriter peragendos excitavit, sequenti allocutione:

« Illūmi ac Rēmi Patres. — Sit honor et gloria bonorum omnium largitori Deo, qui dives in bonitate, quod catholicae Religioni Ecclesiaeque conducit, etiam in temporum acerbitatibus fortiter suaviterque disponit. Quod enim erat in votis, ut plenaria Synodus cogeretur pro universa America Latina, id feliciter, superatis quae obstabant difficultatibus, ad effectum deductum esse, Eo annuente, videmus. Vos igitur, Praesules praeclarissimi, ad Concilium istud celebrandum, molestiis et incommodis quibuscumque posthabitis, e regionibus longe terrarum marisque spatio dissitis, hanc in Urbem alacri animo convenisse, id quidem si communis est nobis laetitiae causa, idem etiam iure optimo in vestram laudem et commendationem cedit. Quapropter nihil mihi iucundius, quam exequi mandata SS. D. N. Leonis PP. XIII, nimirum verbis eius benevolentiae et amoris ple-

nissimis, salutem vobis nuntiare atque omnia fausta ac felicia a divina benignitate adprecari. Quanta profecto vos Ecclesiasque vestras Summus Pontifex complectatur dilectione, haec ipsa vel sola res, propter quam sapienti eius providoque consilio in hunc amplissimum coetum congregati estis, aperte loquitur.

« Opus, quod perficiendum suscipitis, quanti ponderis et gravitatis sit, probe nostis. Causam agitis, in qua res multae, et gravissimae omnes ac sanctissimae, arcto iunguntur nexu; nempe maior Dei gloria, fidei catholicae tuitio ac propagatio, religionis pietatisque incrementum, animarum salus, splendor Ecclesiarum vestrarum, Clericorum decus ac disciplina, ipsius quoque Ordinis vestri episcopalis dignitas, praesidium et amplitudo. Una vero communi lege, iis quae communia sunt, constituta, perspicuum est singulorum vires augeri, ut iura Dei et Ecclesiae, qua par est constantia et fortitudine, prudentia comite, vindicentur; fraternae christianaeque caritatis vinculum roborari, ut alter alteri, si adiuncta locorum rerumque sinant, quam poterit opem, volenti animo impertiat; alacritatem quoque ac diligentiam excitari, ut quisque sui muneris partes obire, si non maiore studio quam caeteri, saltem non minore contendat.

« Praeclara sunt haec ac plane digna, ut in eis curam omnem et operam, qua polletis scientia et virtute, impendatis. Diuturnum autem Ecclesiae experimentum de hisce Sacrorum Antistitum conventibus satis superque testatur, quantum utilitatis ex laboribus studiisque vestris merito sit expectandum.

« Forti igitur magnoque animo, Praesules Excellentissimi, aggredimini opus, quo veluti monumento exemplum et memoriam perpetuam studii vestri pastoralis consecrabit. Sed antequam ei manus admoveatis, oportet imprimis, ut qui Synodum uti Praeses moderetur et regat, constituatur. Qua de re Summus Pontifex, votorum vestrorum non ignarus, decernere ac statuere dignatus est, ut quotquot sunt inter vos Archiepiscopi, Praesides habeantur et sint; ita tamen, ut singuli, nomine et auctoritate eiusdem Pontificis, tamquam ab Eo specialiter delegati, per certum dierum circuitum seu per *turnum*, servato ordine nominationis ad Sedem Archiepiscopalem, officium Praesidis pro sua cuiusque vice in orbem exerceant. Praeterea Sanctitas Sua, preces vestras excipiens, benigne indulget, ut solemnibus Con-

cilii sessionibus intersit, honoris tantum causa, aliquis ex Eminentissimis Patribus S. R. E. Cardinalibus.

« Vestrum est autem, Patres Reverendissimi, omnes Concilii vestri administras, ac praesertim qui Secretarii fungantur munere, designare. Sinite tamen tamquam Sub-secretarium vobis proponam Rmum Dñum Petrum Corvi, quem praesentem hic habetis. Cum omnia, quae ad Synodum pertinent, plene cognoscat, versatus insuper in rebus ad SS. Romanas Congregationes spectantibus, praesertim ad S. C. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositam, in qua laudabiliter adlaborat, vobis quidem adiumento et utilitati esse poterit. Ad minora vero et inferiora officia, uti scriptorum, ostiariorum et caetera, assumi poterunt, si vobis videbitur, huius Collegii Pii-Latini-Americani alumni provectiores. Vestri sunt, vestrisque decretis, cum in suas dioeceses redierint, et ipsi debebunt subesse et parere.

« Suos etiam Consultores, nempe Theologos sacrarumque legum peritos, Concilium habere decet, et quos volueritis, adsciscetis. Attamen ad commoditatem vestram mihi liceat aliquos praestantes viros, in re sive canonica sive theologica prudentes, vobis proponere, ut eos, si placet, inter vestros Consultores adnumeretis. Cum praeterea ex iis plerique in plena cognitione versentur consultationum studiorumque Synodi convocati praemissorum, facile poterunt eas omnes praebere explanationes ac declarationes, quae necessariae vobis atque opportunae, prout occasio ferat, videantur.

« Quibus verbis ad vos habitis, Amplissimi Praesules, quae SSñus Dñus Noster mihi dederat in mandatis explevi, non mediocri affectus animi voluptate, quod mihi licuerit conventui vestro paulisper adesse, vosque breviter alloqui. Vellitis mode accepta habere, quae imo ex corde profero, fervida vota et ad Divinam Maiestatem pro felici exitu laborum vestrorum humiliter converto. Nam hodierni conventus solemnitate expleta, a coetu vestro discedens corpore, non discedam spiritu, Deum enixe rogaturus, ut vos ad Eius gloriam, ad Ecclesiae honorem, ad gregum vestrorum emolumenta laborantes, suarum adiuvet copia gratiarum, laboresque vestros cumulate fortunet. Eius caritas in cordibus vestris diffusa augeat patientiam studiumque vestrum, unitatem servet, concordiam foveat: caritas

discrepantias vel dissensus, si quos forte in sententiarum diversitate oriri contingerit, humilis ac benigna conciliet. Omnibus demum precibus oro et obsecro immaculatam Dei Matrem Virginem Mariam, ut huius Concilii vestri patrocinium suscipere clementissima velit: adprecor castissimum eius. Sponsum Iosephum, gloriosos Apostolorum Principes, ac coelestes Ecclesiarum vestrarum Patronos, ut omnes vobis et laboribus vestris propitii e coelo adsint ».

Cum Eñno Cardinali, praeses fuit huius sollemnis sessionis, iuxta normas de mandato Summi Pontificis ab eodem Eñno Cardinali exhibitas, Rñus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile, senior Archiepiscoporum. Deinde facta est sollemnis processio, ut in Caeremoniali, praesidentibus Eñno Cardinali Di Pietro et Rñno Archiepiscopo S. Iacobi de Chile. Solemnem Missam cantavit Rñus Archiepiscopus S. Salvatoris de Bahia, Primas in Brasilia. Cantatis postea hymnis et precibus praescriptis, et dicto: *Extra omnes* (id est, qui non habent locum in Concilio), Rñus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile praeses effectivus sequentia decreta (quae a Patribus adprobata sunt, servatis ritibus in Caeremoniali praescriptis) promulganda mandavit:

I. - *De aperiendo Concilio.*

« In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

« Nos Marianus Casanova, Archiepiscopus S. Iacobi de Chile, Praeses et Delegatus Apostolicus, ad maiorem Omnipotentis Dei et Salvatoris Nostri Iesu Christi gloriam, ad Beatissimae Virginis Mariae eiusque castissimi Sponsi S. Iosephi honorem, et ad Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorumque Americae Latinae Patronorum et Protectorum et omnium Sanctorum laudem, ad Fidei ac Religionis incrementum, ad pacem et concordiam populorum promovendam, statuimus ac decernimus, de consilio et assensu Reverendissimorum Episcoporum eiusdem Americae Latinae, hac ipsa die, dominica SS. Trinitatis, quae vigesima octava est mensis Maii anni 1899, adiutrice divina misericordia, initium fieri atque iam factum esse Concilii Plenarii Americae Latinae, quod a SS. D. N. Leone

Papa XIII per Apost. Litteras *Cum diuturnum* diei 25 Decembris 1898 indictum et de Eiusdem SS. D. N. mandato a S. C. Concilii die 7 elapsi Ianuarii pro hac die convocatum et ordinatum fuit. Faxit Deus ut haec Plenarii Concilii inchoatio felix sit ac fausta omnino, et in S. Matris Ecclesiae et civitatum Americae Latinae decus benevertat ».

II. - *Decretum de modo vivendi in Concilio.*

« Quum in memoriam Nobis revocamus illud Spiritus Sancti oraculum, in aedificanda domo, nisi Dominus aedificaverit, in vanum nos laborare; in aggrediendo opere gravissimo, quod intendimus, ad Illud nobis confugiendum est, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit, ad Patrem luminum qui postulantibus sapientiam largitur affluenter, et qui dat velle et perficere pro bona voluntate. Quare, in hoc Concilio Plenario celebrando, non viribus nostris exiguis confisi, sed Dei unius ope atque auxilio freti, supplices ab eo deprecamur, auspice Beata Maria Virgine, ut sedium suarum assistricem Sapientiam mittat, quae Patribus huius Concilii adsit, et cum ipsis laboret. Obsecramus igitur vos Reverendissimos Episcopos, Fratres Nostros, atque in Domino exhortamur ut ad Concilium promovendum egregias vestras dotes, et salutaria consilia, sanctasque preces conferatis; venerabiles quoque Sacerdotes, qui nobiscum congregati sunt, paterno amore per viscera misericordiae Dei obtestamur, ut sacrosanctum sacrificium Deo offerant, vitae sanctitate fidelibus prae luceant, ac sincero studio omnes in unum cooperantes ea omnia praestare satagant, quae ad fidelem Concilii exitum apta et condigna videantur ».

III. - *Decretum de praevindicio non afferendo.*

« Si cui contingerit in hoc Plenarium Concilium non iure admissum fuisse, vel suo proprio loco non sedere, sententiamve dicere, aut aliud quidpiam agere; vel si forte aliqua ratione, propria alicui privilegia non concedantur, declaramus ac decernimus nullum ipsi ius novum esse ideo acquirendum vel praevindictum inferendum; omnium enim iura sarta tectaque esse volumus ».

IV. - *Decretum de non discedendo et de secreto servando.*

« Universis qui ad Plenarium hoc Concilium conveniunt, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in iure statutis, praecipimus, ne antequam Synodus ad exitum perducta fuerit, et eius acta subscripta, discedant, nisi ob iustas et rationabiles causas legitimam facultatem recedendi aliquis obtinuerit, et ne secreta ad Synodum spectantia publici iuris faciant ».

V. - *Decretum de iudicibus excusationum et causarum personalium in Concilio occurrentium.*

« Ut a Concilio Plenario omnia arceantur, quae unitatem et concordiam turbare aut deliberationis felicem progressum impedire aut quovis modo implicare possent, antiquum Conciliorum usum sequentes, aliquos causarum personalium Iudices constituere decrevimus, quibus excusationes quae forte praefereandae sunt, aliasque causas diligenter audire et exactius investigare, atque ad Nos referre incumbit, ut de iis cum Patribus iudicemus et definiamus. Huic autem muneris (*nomina habentur supra in elencho pag. XLI*) praeficimus; quorum duo ad causam quamlibet dirimendam sufficient ».

Facta promulgatione, Rñus Praeses, post instantiam Promotoris, sequens edidit decretum:

VI. - *Decretum de professione Fidei.*

« Cum inter omnes pastoralis officii sollicitudines illa potissimum prima esse debeat, ut Fides Catholica, quam Sacrosancta Romana Ecclesia tenet, et quae solidissimo Petrae fundamento nititur, incorrupta in Nostris Civitatibus vigeat et augeat, decernimus et statuimus, ut ab unanimi professione eiusdem fidei, quam salutis humanae initium et fundamentum praedicamus, praesentis quoque Synodi actiones sumant exordium et incrementum. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Idcirco patrum exempla et S. Concilii Tridentini ordinationem pie venerantes, praecipimus, et Reverendissimos Episcopos, necnon omnes in hac Synodo congregatos invitamus, ut professionem Fidei secundum formam a Pio Papa IV concinnatam emittant, una cum clausula de Romani Pontificis

primatu deque eius infallibili magisterio addenda iuxta Pii fel. rec. Papae IX praescriptum ».

Lecto decreto, ipse Rñus Praeses effectivus Professionem Fidei iuxta formulam Pii IV et Pii IX flexis genibus emisit, ut in Caeremoniali. Deinde singuli Archiepiscopi et Episcopi accesserunt ad Praesidem, et pariter flexis genibus dixerunt: *Et ego N. Archiepiscopus (vel Episcopus) N. recipio, promitto, spondeo, profiteor, delector, anathematizo, roveo et iuro in formula Professionis fidei modo lecta, singula singulis referendo.* Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiunxerunt: *Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.*

Tandem, indicta secunda Sessione solenni opportuna die habenda, rogatisque Notariis ut acta conficerent, et servato Caeremoniali, post orationem, Eñus Cardinalis, qui Sessioni e throno praeerat, solemnem benedictionem impertitus est.

In hac solenni Sessione Rñus Archiepiscopus Montisvidעי hunc sermonem ad Rños Patres habuit:

« Et vocabitis hunc diem celebrissimum atque sanctissimum
Legitimum sempiternum erit in cunctis generationibus vestris ».

(*Levit. XXIII, v. 21*).

« Minimus ego Episcoporum, ad Venerabiles Fratres, qui Angelorum vice suis in Ecclesiis diligentissime perfunguntur, atque apostolici muneris sancte et laudabiliter partes implent, verba solemniter facturus, quid dicam, quidve praeloquar, quod ipsi apprime plenusque non certo dignoscant? Pro vestra ergo benignitate mihi parcite, ausumque indulgete, Eñe Domine, Rñi Patres; summo tamen gaudio omnes exultemus, quoniam, Dei misericordia annuente, hic Plenarius Conventus, cui nunquam per tot saecula sui generis similis in Ecclesia Dei extitit, suum tandem sortiri potuerit effectum.

« Affulsit enim dies illa optatissima, qua totius Americae Latinae Episcopis concessum est, a longinquis regionibus in unum convenire, ac primum Concilium Plenarium Latino-Americanum in hac alma Urbe celebrare. Talis abs dubio huic magno faustissimoque eventui sedes condecebat.

« Istud autem, quoniam feliciori omine auspicari possumus, quam si, postquam Omnipotenti Deo, honorum omnium largitori, sacrificium laudis solemniter immolaverimus, Pontifici Summo, cuius potissimum opera hoc magnum est nobis gregibusque nostris beneficium collatum, maximas, quibus tenemur, ex intimo cordis gratias persolvamus? Quid vero nobis iucundius, quam ut, hac ipsa occasione oblata, sincerissimum nostrae devotionis, grati animi et amoris sensum erga Pastorem Maximum et Apostolicam Sedem imprimis testemur, in hac ipsa Urbe hospites, magnifice, libenterque recepti?

« Hoc muneris nostri debitum eo etiam gaudentius persolvimus, quod nos satis admirari nequimus fortissimum pectoris robur, prudentiam, zelum aequae sapientissimam Leonis normam ad universam Dei Ecclesiam tuendam regendamque; cuius quidem inusitata fortitudinis ac sapientiae exempla, vel illi ipsi stupefacti admiratione perspiciunt, qui a catholica Fide dissentiunt. Nosque praeterea, quia suum est quod convenire potuimus, videre debemus quomodo oporteat nos in Domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi (*I. Tim.* 3, v. 15).

« Nam quod praelongo abhinc temporum spatio, Praesules Amplissimi, in Americae Latinae provinciis maxime optandum erat, ac prae difficultate prope desperandum videbatur, Synodi Plenariae scilicet convocatio Praesulum illarum octodecim Rerum-publicarum; hoc, singulari SS^mi D. N. Leonis XIII providentia, hodierna die B^mae Trinitati sacra, promptis et gaudentibus animis aggredimur. Exultat ergo cor nostrum in Domino, et Vos quoque, Venerabiles Fratres, summa perfusus esse laetitia plane non dubitamus, scientes quantum honoris ex coetu isto quotque beneficia esse pro Ecclesiis vestris repetenda.

« Laetissimo hocce die et ipsa tota America Latina congaudet, quoniam a saeculo desideratum, amplissimum scilicet suarum regionum Antistitum omnium sacer Consessus fortunatum nunc denique ab uno sapientissimo Pontifice Leone obtinuerit eventum; sicque in Eius perglorioso diuturnoque Pontificatu nihil iam pro Reipublicae Christianae bono atque salute intentandum Ei superesse videatur. Quam magnificata sunt enim opera magni Leonis! Non est factum tale opus in universis regnis (*Psal.* ciii, v. 24).

« Haec est ergo dies, quam fecit Dominus; haec illa auspiciata dies, albo lapillo vere signanda, qua Ecclesiarum Americae Latinae Pastoribus se coram consalutare post longa saecula pro vice prima permittitur; haec demum est dies, qua ipsi sancto caritatis vinculo associati ad ovium sibi commissarum salutem promovendam iunctis animis conveniunt, plaudentibus cunctis, nos ex dissitis terris ad hanc Apostolicam Sedem, propugnaculum fidei, magistram veritatis, catholicae unitatis firmitermentum, summa nos alacritate properasse; ac ideo spectaculum facti mundo, et Angelis, et hominibus, prae mirabili Pontificatum inter et Episcopatum unionis vinculo, quam sola nostra praesentia in Urbe patefacit, gentes omnes acclamare compellimus: "Ubi Petrus, ibi Ecclesia".

« Sed dicam iterum, magnus iste faustusque eventus SS^mi Dⁿⁱ Nostri Leonis Papae XIII ardentissimo est zelo ac in Ecclesiarum regimine sapientiae adscribendus, qui a primordiis sui Pontificatus apostolica sollicitudine ac praeclaro consilio tot beneficia, eaque ingentia tum religioni, tum civili societati est munifice largitus. Neque dubitandum, providentissimum Christi Vicarium feliciorem futurarum rerum ordinem pro civili Christianaque societate proximis temporibus Americae affulgendum divino quodam intuitu praevidissee. Inde Pontificis sollicitudo et curae in hac indicenda Synodo quae, ad fidei ac religionis incrementum, ad pacem et concordiam in populis promovendam, uti maxime conveniens in nobis desiderabatur.

« Et sane, quamvis legitima Concilia, cuiuscumque ea generis existant, religioni atque societati perutilia semper evaserint, huiusmodi tamen Concilii Plenarii utilitatem pro universa America Latina maximam futuram esse, unusquisque facile sibi persuadebit; in illo enim, collatis studiis atque consiliis, ea nos statuere conabimur, quae in Provincialibus ac Dioecesanis deinde Synodis ad maiorem Dei gloriam amplificandam, eiusque Sanctae Ecclesiae causam propugnandam, et spirituales christiani populi utilitatem promovendam tractanda erunt. Nam in sacro hocce Conventu curas cogitationesque nostras in ea praesertim inveniunda consilia impendere debemus, quibus in nostris regionibus cleri disciplina, sanctitas, doctrina, zelus foveri valeat; et in populis curae nostrae commissis, morum honestas, pietas ac

solidior sanctissimae nostrae religionis cognitio promoveri, et mala perniciosa coerceri; sicque, ut patet, populorum tranquillitati et prosperitati, quae catholica religione vel maxime continentur, consulemus. Hincque, Deo benedicente, utilitatem haud exiguam Americae nostrae provinciae futuram confidimus, cum praeteritorum temporum memoria et ipsa aetatis nostrae experientia apertissime ostendant, optatam christianae reipublicae malis plerumque ex Synodis huiusmodi oriri medelam, et fidem ac pietatem in populis, et ecclesiasticae disciplinae studium ipsamque unitatis spiritum inter ipsos Pastores incrementa suscipere.

« Benedictus, itaque, Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui nos operis sui ministros et Ecclesiae Pastores, Supremi Vicarii sui voce, ad Plenariam Synodum peragendam in unum collegit, ut veritatis et iustitiae iura tueremur et ad cleri populi que bonum leges conderemus; siquidem, quamvis humilitatis nostrae conscii simus, illud certe nos recreat, quod ex iis de quibus in Synodo disputabimus, nihil erit vel excogitatum, vel dissertum, sive sancitum, quod ad cleri et ipsius Episcopatus splendorem, ad virtutum incrementum, ad vitiorum extirpationem, ad tranquillum reipublicae ordinem vel maxime non ordinetur; benemerentes igitur de Ecclesia efficiemur et de civili humanaque societate, siquidem religio ad omnia utilis est.

« Sed quid mundus, in tanta illa opinionum varietate, quid de pastoralibus nostris conventibus existimabit? Fortassis steriles formulas et ritus esse dicet, vanas declamationes, consilia inania, sententias demum frugis expertes. Sed istuc nihil nostra refert, quoniam, quam vehementer erret, qui ita opinetur, vel ipsa historia profana demonstrat.

« De rebus omnium altissimis et amplissimis agemus; nobilissima maximeque vitalia argumenta tractabimus, quaeque ad hominem atque societatem pertinent; illos quasi coelestes cardines stabilemus, in quibus tum singulorum, tum familiae ipsiusque nationis felicitas omnis vertitur atque consistit; quamvis aeternae Sionis, veritatis nempe divinae, conscensa altitudine, minutias istas, quae politicae militantis quaestiones appellantur, ex professo relinquemus, ad altiora petentes. Religio Hominis Dei, religio omnium saeculorum, cuius causa et creatus est

mundus et constat, quaeque vera omnium vita continetur; ea ipsa erit in qua omnis nostra consultatio versabitur: illa, inquam, religio, in qua ab undeviginti saeculis mundi spes atque deliciae, cunctarum gentium salus et perfectio fuisse repositae. In sanctissimo ergo illius nomine congregati, hoc unum in hac Synodo perfecturi sumus, illa scilicet consilia potissimum inire, concordissimis animis consociatisque studiis, quibus in nostris Dioecesium sanctae fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custodiatur, et catholicae Ecclesiae causa eiusque salutaris doctrina propugnetur, et cleri disciplina sarta tecta servetur, et adolescentium clericorum in scientia ac pietate institutioni, neque non christianae utriusque sexus iuventutis educationi consulatur, et morum honestas ac religio, pietas in omnium animis quotidie magis excitetur, foveatur; et vitia eliminentur, ac fideles apprime salutifera catholicae doctrinae scientia erudiantur, et concives errantes ad religionis et virtutis semitam reducantur.

« Haec suprema Ecclesiae missio per Pastores, quae si ad spiritualia praecipue dirigitur, ea tamen est Religionis nostrae conditio, ut quamvis ipsa per se salubrem animarum directam respiciat, nihilominus temporalem prosperitatem ac veram civilitatem nedum non negligit, sed efficacius gignit ac fovet, uti docet magnus noster Leo ex D. Augustino, „ quam si esset parandis vel augendis mortalis vitae commodis et utilitatibus unice nata ” (Enc. *Arcanum*). Hinc Ecclesia verae humanitatis auctrix, propagatrix, atque servatrix extitit; legesque fidei tuenda causa ab Ecclesia latae germanae libertati ac civilitati non nocent (Enc. *Libertas*), sed potius malis, quibus moderna societas opprimitur, remedia sola Ecclesia valet afferre (Enc. *Inscrutabili*).

« Et hoc etiam faxit Deus Omnipotens, ut ex hoc nostro Conventu, fraternitatis ac urbanitatis vincula inter Americae Latinae civitates magis intima, sincera ac solidiora in dies eveniant; ad quod quidem pro viribus adlaborare nobis sanctum erit et gloriosum; siquidem nihil antiquius, nihil iucundius nobis accidere poterit quam, quiddam amoris pietatisque erga greges nostris inest pectoribus, id significare velimus, dum viribus unitis, pro Deo et pro Patria prospera cuncta, sanctaque optemus et agamus.

« Itaque, Eñe Dñe, Antistites Amplissimi, talis ac tantae Concilium nostrum futurum esse magnitudinis licet nobis sperare, ut ad Sanctae Sedis et ipsius Americae Latinae decorem et gloriam aureis litteris in historicis paginis eius memoria celebrari mereatur. " Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum.... Legitimum sempiternum erit in cunctis generationibus vestris " (*Levit.* 23, v. 21).

« Sed iam huic humili sermoni finem imposituri, Vos, Venerabiles Fratres, invitamus, ut iterum Christi Vicario grates ex animo persolvamus, quod Concilio Plenario celebrando nos ad pontificiam Urbem occurrere permiserit, atque illud amplissimo honore Eñi Domini Delegati praesidentiae decoraverit.

« Quapropter Magno Leoni uno ore, unaque mente acclamemus, et Ei omnia fausta, bona cuncta adprecemur. Vivat diu, valeatque, ad catholicam regendam Ecclesiam. Pergat, ut facit, eam suo robore tueri, sua prudentia dirigere, suis ornare virtutibus; praeceatque nobis, ut Bonus Pastor, exemplo, oves et agnos coelesti pabulo pascens, aquis divinae sapientiae reficiens. Nam Ille sanae doctrinae magister, Ille unitatis centrum, Ille populis lumen indeficiens ab aeterna Sapientia praeeparatum. Ille petra est et ipsius Ecclesiae fundamentum, adversus quod nunquam inferorum potestates praevalerunt. Illum inter tantas molestias, totque labores fronte serena et imperturbato animo sacri muneris partibus fungentem, invictum, sapientem et erectum admiramur. In quibus omnibus, si iustissima gloriam universae Ecclesiae suppetunt argumenta, cordi nostro novos adiecit gratitudinis et amoris stimulos ardens illud desiderium Patris amatissimi in Americae salutem feliciterque fortunam.

« Deus, itaque, benedicat e coelo sancto suo nostris laboribus, cunctisque studiis et desideriis nostris, ut ea quae ad tutamen et decus Catholicae Ecclesiae, neque non ad reipublicae salutem et incrementum, opere non intermisso peragemus, Is Ipse ad finem optatum perducatur.

« Apprime scitis, Vos, Rñi Patres, qua cura, quae vigilantia nobis sit opus, cum nos Dominus super familiam suam constituerit, ut apud nostrarum regionum populos, ea religio, quae est dominantium et subditorum tutela, atque iustitiae et pacis parens simul et nutrix, ob id sit omnibus excolenda, servanda, tuenda.

« Spiritus autem Domini, qui lumen est cordium, et qui superna sua gratia pectora et mentes incendit, Americam nostram replere, et faciem eius renovare ubique dignetur. Et voti quidem nos compotes fore sperare licet, praecipue si Deus omnium precibus exoratus, sapientissimo Pontifici Leoni diuturnam valetudinem et incolunitatem laetissimam pleniorumque benigne largiatur, ita ut Ipse in dies vividior Ecclesiae necessitatibus, sicuti meditatur, diu possit occurrere.

« Tibi vero, Eñe Domine, grati animi ergo, omnia etiam fausta, prosperaque e coelo adprecamur.

« Interim, gratia Domini Nostri Iesu Christi, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus nobis nunc et ubique semper. Amen ».

CONGREGATIO GENERALIS PRIMA.

Feria II, die 29 Maii 1899, hora decima, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres, praeside Rño Archiepiscopo S. Iacobi de Chile, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione probata fuit Epistola Synodica ad SS. D. N. Leonem PP. XIII, quae subscripta ab omnibus Rñis Patribus, totius Concilii nomine deferenda dicta est ad Summum Pontificem per duos Archiepiscopos duosque Episcopos seniores, qui insuper item totius Concilii nomine Eños Cardinales Rampaola Secretarium Status S. S. et Di Pietro S. C. Praefectum inviserunt. Haud necessaria visa est Rñis Patribus electio Vice-Praesidum Concilii, adstante designatione omnium Archiepiscoporum ad successivam praesidentiam cum dignitate Delegati Apostolici de speciali Sanctitatis Suae benevolentia eisdem Archiepiscopis concessa. Electi sunt Secretarii Concilii, dignitate et officio pares, Rñi Episcopi S. Ludovici de Potosi et Petropolitano, quibus per acclamationem adiunctus est uti Sub-secretarius Rñus D. Petrus Corvi. Deinde electi sunt Vice-secretarii, Iudices querelarum, Iudices excusationum, Promotores et Relatores. Consultores autem Concilii per acclamationem designati fuerunt. Electio caeterorum Concilii Officialium, Notariorum videlicet, Cursorum et Ostiariorum, commissa est Rño Praesidi et Secretariis. Istorum autem Officialium nomina habentur in *Elencho Officialium Concilii Plenarii* (pag. XL). Media hac Congrega-

tionem, Rñus Praeses, ob male affectam valetudinem abire coactus, rogavit Rñum Archiepiscopum Bogotensem ut locum Praesidis occuparet; et ita factum est. Post horam 12, recitatis precibus, Patres discesserunt.

CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

Feria III, die 30 Maii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres, praeside Rño Archiepiscopo Bogotensi, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione confirmata fuit designatio Notariorum, de qua actum erat in sessione praecedenti, qui statim ad mensam ipsis paratam accesserunt ad confectionem actuum incipiendam. Deinde res fuit de normis in discussionibus servandis, intuitu tum plenissimae libertatis Patrum circa negotia deliberationibus Concilii proposita vel proponenda, tum circa ordinatum modum earumdem discussionum: unde iterum confirmata fuit et sapienter ordinata a toto Concilio libertas illa discussionum, postulatorum et observationum, quam plenam omnino voluit Apostolica Sedes. Deceverunt Rñi Patres ut Congregationes generales ab hora 9 ad 12 quotidie deinceps pro viribus haberentur, exceptis diebus sessionum solemnium. Non admittendos insuper dixerunt ad congregationes generales Consultores singulorum Episcoporum, cum ad rem sufficiant Consultores totius Concilii in Elencho Officialium descripti; salva tamen eorumdem Episcoporum libertate proprios Consultores in studiis et consiliis circa negotia Concilii adhibendi, sub lege tamen secreti.

CONGREGATIO GENERALIS TERTIA.

Feria IV, die 31 Maii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rño Archiepiscopo Bogotensi, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione declaratum est posse Episcopos absentium Praelatorum etiam aliarum regionum Americae Latinae observationes et desiderata exhibere cum propriis: unicum tamen unumquemque Patrem votum habere, quamvis propriae vel alienae provinciae absentes Episcopos repraesentet. Et hac occasione meritis laudibus celebrati sunt Metropolitae Guatimalensis et de Plata seu Bolivienensis, alique, legitimis quidem de causis absen-

tes, sed toto corde totaque mente praesentes. Post haec, Rñi Patres incipiendam dixerunt discussionem decretorum iuxta ordinem Schematis. Sed omnibus placuit ut ante omnia decreta, speciale ederetur de consecratione totius Concilii Plenarii SS. Cordi Iesu et B. M. V. Immaculae, Americae Latinae Patronae principali, cum invocatione Sanctorum eiusdem Americae Latinae, solemniter peragenda in aula Conciliari, ea ipsa die qua Summus Pontifex Urbem et Orbem dulcissimo Cordi Iesu consecraret. Deinde actum est de primis articulis cap. I tit. I *De Fide et Ecclesia Catholica*, et ubiores praescriptae sunt normae votationum ut, salva libertate discussionum, brevitati pro viribus consuleretur. Sequenti feria V, ob solemnitatem SS. Corporis Christi, non habebitur Congregatio.

CONGREGATIO GENERALIS QUARTA.

Feria VI, die 2 Iunii 1899, hora nona, in aula Conciliari convenerunt Rñi Patres, praeside Rño Archiepiscopo Bogotensi, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione actum est de caeteris articulis cap. I tit. I *De Fide et Ecclesia Catholica*, et totum caput primum adprobatum est. Id ipsum factum est de articulis cap. II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, quae cum modificationibus et additionibus a Patribus admissis, exceptis art. 68 et 69 speciali studio subiectis pro proxima congregatione, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS QUINTA.

Sabbato, die 3 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rño Archiepiscopo Bogotensi, Delegato Apostolico illius diei. In hac sessione adprobatus fuit textus decreti consecrationis Concilii SS. Cordi Iesu ac B. M. V. Immaculae, de quo actum est, in congregatione tertia. Voluerunt etiam Patres ut, praeter laudatam consecrationem in aula Conciliari perendam, alia fieret ab Episcopis horis vespertinis in Ecclesia Urbis SS. Cordi Iesu dicata, ad quam instanter invitati erant. Deinde ex art. 68 et 69 modificatis unicus factus est et adprobatus a Patribus. Tandem cap. XI totusque titulus I cum modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Res fuit po-

stea de cap. I et II tit. II *De Fidei impedimentis et periculis*, quae praevis modificationibus et additionibus admissis pariter adprobata sunt. Tandem Rm̄i Patres per acclamationem gratias egerunt Rm̄o Archiepiscopo Bogotensi, qui sapienti moderatione tot congregationibus, et proprio nomine, et vices agens Rm̄i Archiepiscopi S. Iacobi de Chile infirmitate impediti praefuit, planioremq̄ fecit viam tenendam in successiva directione totius Concilii, Praesidentiae iura optima ratione concilians cum plena Patrum libertate: de qua re, mirabili consensione et fraterna dilectione, vel ab ipsa prima congregatione generali solliciti fuerunt omnes Rm̄i Patres, optimo consilio respondentes menti S. Sedis. Nec minori laude dignus habitus est ipse Rm̄us Archiepiscopus S. Iacobi de Chile, senior Archiepiscoporum, qui etsi infirma valetudine afflictus, optimis consiliis, diebus suae praesidentiae respondentibus et aliis validum Synodalibus auxiliis praestitit.

SESSIO SOLEMNIS SECUNDA.

Dominica, die 4 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Em̄o ac Rm̄o Cardinali Seraphino Cretoni, a SS. D. N. Leone Papa XIII deputato. Missam celebravit de Spiritu sancto Rm̄us Archiepiscopus Bogotensis. Post Missam Rm̄us Archiepiscopus de Linares, novus Praeses, ad altare accessit: ipse pluviali coloris rubri paratus, caeteri Episcopi coloris albi, omnes mitram susceperunt. Cantatis psalmis et precibus praescriptis in Caeremoniali, dictoque: *Extra omnes*, Promotor instavit pro publicatione decretorum in praecedentibus Congregationibus generalibus adprobatorum, et facta lectione indicis Episcoporum, singulisque Episcopis respondentibus: *Adsum*, lecta sunt e suggestu per nonnullos Episcopos designatos (ne unicus lector nimis defatigaretur) decreta in praecedentibus congregationibus praeparata et probata, decretum videlicet de consecratione Concilii SS. Cordi Iesu et B. M. V. Immaculatae, et omnia decreta tituli I de *Fide et Ecclesia Catholica*. Decreta autem ex Titulo II iam praeparata mandata fuerunt ad proximam Sessionem solemnem. Exquisitis deinde cognitisque sententiis singulorum Patrum, solemniter adprobata sunt omnia decreta per-

lecta. Post haec, Promotores instantiam fecerunt pro rogandis actis. Secunda Sessio solemnis indicta est ad proximam feriam V. Tandem omnibus rite expletis, Em̄us Cardinalis Praeses ad honorem solemnem benedictionem e throno impertitus est.

CONGREGATIO GENERALIS SEXTA.

Feria II, die 5 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo de Linares, Delegato Apostolico illius diei. Rm̄us Archiepiscopus S. Iacobi de Chile rationem reddidit de commissione Episcoporum, qui hesternae die Summum Pontificem adierunt Litteras Concilii deferentes, ac legit scriptum in quo Sanctitati Suae significarunt primam omnium huius Concilii curam fuisse Supremo Ecclesiae Pastori singulorum Patrum devotionem atque observantiam erga Petri Cathedram exhibere; hinc singulos Synodales Apostolicam Benedictionem postulare ut Concilii labores bene procederent. Summus vero Pontifex benigne respondit quantum de iam notis huiusmodi devotionis sensibus laetus esset, ac praecipue de omnium Patrum concordia et unione: multaque in bonum Ecclesiae in tota America Latina ab ipso Concilio sperare. Eidem S. Pontifici aegro animo omnes laeturos dixerunt absentiam Rm̄i P. Livaneras, ad cardinalatum proxime promovendi, ideoque postularunt ut eius praesentiam in Concilio adhuc permitteret. Summus Pontifex spondit aliqua Se ratione provisurum. Post haec actum est de commissionibus privatis visitationis Rm̄orum Patrum infirmorum, de negotiis Collegii Pii Latini Americani, etc. Tandem facta est discussio cap. III, IV, V, VI tituli II *De Fidei impedimentis et periculis*, quae, peractis modificationibus admissis, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS SEPTIMA.

Feria III, die 6 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo de Linares, Delegato Apostolico illius diei. Facta est discussio cap. VII tit. II, et amplissima tractatione actum est de periculis et malis sectae Massonicae. Ut autem remedia efficaciora evaderent, voluerunt Rm̄i Patres ut distincte

adnotarentur normae a S. Sede praescriptae, quibus melius vitari possent defectus et excessus.

CONGREGATIO GENERALIS OCTAVA.

Feria IV, die 7 Junii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo de Linares, Delegato Apostolico illius diei. Placuit Rm̄is Patribus, quod articuli cap. VII facti fuerint quasi compendium instructionum et declarationum S. Sedis circa sectam Massonicam, et admiserunt articulum additionalem cum citatione decretorum eiusdem S. Sedis quibus facile vitari possunt defectus et excessus, tutaque fiet et efficax agendi ratio contra insidias massonum. Voluerunt etiam Rm̄i Patres ut fiat expressa mentio documentorum S. Sedis quibus damnatur error eorum, qui praetendunt melioris seu mitioris conditionis esse naturam sectae massonicae in America ac in Europa. Deinde totum cap. VII cum admissis additionibus adprobatum fuit. Actum est postea de cap. I, II, III tituli III *De Personis Ecclesiasticis*, quae praevis nonnullis additionibus, modificationibus et novissimorum decretorum citationibus adprobata sunt.

SESSIO SOLEMNIS TERTIA.

Feria V, die 8 Junii 1899, hora nona cum dimidio, convenerunt in Aula Conciliari Rm̄i Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Em̄o ac Rm̄o Cardinali Hieronymo M. Gotti a SS. D. N. Leone PP. XIII deputato. Missam de Spiritu Sancto celebravit Rm̄us Archiepiscopus de Linares. Post Missam novus praeses Rm̄us Archiepiscopus Antequerensis ad altare accessit paratus pluviali coloris rubri et mitra, alii Episcopi pluviale album et mitram habebant, servatoque Caeremoniali, et quae in secunda sessione solenni facta sunt, et dicto: *Extra omnes*, decreta omnia quae continentur in titulo II *De Fidei impedimentis et periculis* cum modificationibus a Patribus factis et in praecedentibus congregationibus generalibus admissis solemniter publicata, adprobata et promulgata sunt. Deinde Promotores instantiam fecerunt pro rogandis actis, et indicta est quarta sessio solennis pro die Dominica,

11 Junii. Em̄us Cardinalis Praeses ad honorem solemnem benedictionem e throno impertitus est.

CONGREGATIO GENERALIS NONA.

Feria VI, die 9 Junii 1899, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo Antequerensi, Delegato Apostolico illius diei. Recitatae sunt Litaniae SS. Cordis Iesu, quia prima occurrebat dies Triduanae supplicationis ante solemnem consecrationem SS. Cordis Iesu, iuxta decretum a Patribus editum ante omnia alia conciliaria decreta. Actum est postea de cap. IV tit. III *De Personis Ecclesiasticis*, et omnes huius cap. articuli probati sunt cum additione circa *Provisorem*. Cap. V et VI item adprobata fuerunt, praevia amplissima discussione circa quasdam praetensiones nonnullorum canonicorum, praevisque modificationibus et additionibus admissis.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA.

Sabbato, die 10 Junii 1899, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo Antequerensi, Delegato Apostolico illius diei. Recitatae sunt Litaniae SS. Cordis Iesu, ut die praecedenti, et statuta fuit definitiva formula consecrationis Concilii B. M. V. Immaculatae post formulam consecrationis SS. Cordis Iesu sequenti die recitanda; facta libertate Rm̄is Ordinariis ut, post verba *in Guadalupano*, explicitam mentionem facerent, si vellent, Sanctuariorum celebriorum propriae nationis, provinciae vel dioecesis: sicque in unaquaque natione non solum sanctuarii Guadalupani, quod commune thesaurum est et monumentum Marianae pietatis pro tota America Latina, celebraretur memoria, sed et sanctuariorum celebriorum quae Marianae dilectionis erga singulas eiusdem Americae Latinae nationes insignia existunt documenta. Deinde actum est de cap. VII, VIII et IX tit. III, quae praevis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt.

SESSIO SOLEMNIS QUARTA.

Dominica, die 11 Junii 1899, hora nona cum dimidio, convenerunt in aula Conciliari Rm̄i Patres cum Consultoribus, No-

tariis et aliis, praeside ad honorem Eñõ ac Rñõ Cardinali Dominico Maria Iacobini, a SS. D. N. Leone PP. XIII deputato. Missam de Spiritu Sancto celebravit Rñus Archiepiscopus Quitensis. Post Missam, exposito in altari principali aulae Conciliaris SS. Sacramento, Rñus Archiepiscopus Mexicanus, novus Praeses, ad presbyterium accessit: ipse pluviali rubro, caeteri Episcopi pluviali albo parati erant. Hinc Rñus Archiepiscopus Quitensis casula adhuc indutus, genuflexus in medio altaris, formulam consecrationis SS. Cordi Iesu et B. M. V. Immaculatae cum invocatione Sanctorum et Beatorum Americae Latinae alta voce recitavit, et cum eo pariter alta voce totum Concilium cum Collegio Pio Latino Americano et aliis clericis et fidelibus adstantibus: idque tanto cordis et oris fervore ab omnibus factum est, ut lacrymas dulcissimae devotionis et suavissimae fiduciae christianae prosperitatis populorum latino-americanorum in multis excitaverit. Et merito, nam si vel ab initio Concilii Plenarii Rñi Patres cor unum et anima una semper fuerunt, id speciali ratione factum est in hac suavissima solemnitate, quae totam Americam Latinam in SS. Corde Iesu et B. M. V. Immaculatae adunatam, unitam, coniunctam exhibuit, coram tot Pastoribus et fidelibus sanguine, corde, amore latino-americanis. Post benedictionem cum SS. Sacramento eiusque repositionem, cantatis precibus aliisque servatis ut in Caeremoniali et secunda sessione solenni, dictoque: *Extra omnes*, decreta omnia quae continentur a cap. I ad cap. IX tituli III *De Personis Ecclesiasticis*, in praecedentibus Congregationibus generalibus iam probata cum suis modificationibus et additionibus, solemniter publicata, adprobata et promulgata sunt. Deinde Promotores instantiam fecerunt pro rogandis actis, et indicta est quinta sessio solennis pro proxima feria V. Tandem Eñus Cardinalis solemnem benedictionem e throno impertitus est.

CONGREGATIO GENERALIS UNDECIMA.

Feria II, die 12 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rñõ Archiepiscopo Mexicano, Delegato Apostolico illius diei. Ne integra lectio decretorum sessiones solennes multiplicet, alii ex Patribus voverunt ut deinceps, saltem quoad articulos

non modificatos, summaria tantum foret publicatio decretorum, utpote Synodalibus omnibus iam notorum, et plenae discussioni ac formali probationi in congregationibus generalibus subiectorum. Alii vero magis tutum dixerunt rem S. Sedi subicere per Cardinalem Praefectum S. C. C. Deinde facta est discussio cap. X, XI, XII, XIII et XIV tit. III *De Personis Ecclesiasticis*, quae praevis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS DUODECIMA.

Feria III, die 13 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rñõ Archiepiscopo Mexicano, Delegato Apostolico illius diei. Expleta est discussio cap. XV tit. III in praecedenti Congregatione incoepa, et praevis modificationibus et additionibus adprobatum est. Eodem modo adprobatum est cap. XVI ideoque integer tit. III. Deinde actum est de tit. IV *De Cultu divino*, et praevis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt decreta cap. I usque ad art. 353.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA TERTIA.

Feria IV, die 14 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rñõ Archiepiscopo Mexicano, Delegato Apostolico illius diei. Discussa et adprobata sunt cum admissis modificationibus et additionibus caetera decreta cap. I tit. IV. Deinde actum est de cap. II, III, IV et V eiusdem tituli, quae cum modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Post haec Rñus Secretarius notam fecit declarationem Summi Pontificis circa postulatam per Eñum Cardinalem Praefectum S. C. C. exhibitum de summaria lectione decretorum in sessione solenni. Voluit Sanctitas Sua ut consuleretur brevitate sessionum solennium, sed sine laesione dignitatis earumdem, ideoque ut in articulis longioribus una vel altera periodus, caeteri per integrum legerentur.

SESSIO SOLEMNIS QUINTA.

Feria V, die 15 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, convenerunt in Aula Conciliari Rñi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Eñõ ac Rñõ Cardinali An-

tonio Agliardi, a SS. D. N. Leone PP. XIII députato. Missam de Spiritu Sancto celebravit Rñus Archiepiscopus Mexicanus. Post Missam novus praeses Rñus Archiepiscopus Quitensis ad altare accessit paratus pluviali coloris rubri, alii Episcopi pluviali albo, et servato Caeremoniali, dictoque: *Extra omnes*, decreta quae continentur in tit. III *De Personis Ecclesiasticis*, a cap. X ad cap. XVI, et tit. IV *De Cultu divino*, a cap. I ad cap. V, cum modificationibus et additionibus admissis, lecta, publicata, adprobata et confirmata sunt, servata quoad lectionem summariam benigna declaratione SS. D. N. Leonis PP. XIII, de qua in Congregatione generali praecedente. Tandem indicta est Sessio sollemnis ad proximam diem Dominicam, et Eñus Cardinalis praeses ad honorem solemnem benedictionem e throno impertitus est.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA QUARTA.

Feria VI, die 16 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rño Archiepiscopo Quitensi, Delegato Apostolico illius diei. Actum est de cap. VI tit. IV *De Cultu divino*, et praevis modificationibus et additionibus admissis probatum fuit. Deinde res fuit de cap. VII et VIII; et Rñi PP. habitis consiliis de necessitate amplioris indulti circa abstinentiam et ieiunium a SS. D. N. Leone PP. XIII instantissime postulandi, peractisque nonnullis modificationibus et additionibus, utrumque caput adprobarunt

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA QUINTA.

Sabbato, die 17 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rño Archiepiscopo Quitensi, Delegato Apostolico illius diei. Actum est de cap. IX, X, XI tit. IV *De Cultu divino*, quae praevis modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Voluerunt Rñi Patres ut circa Appendicem ad *Rituale Romanum*, de quo in art. 441 Schematis, solliciti forent aliqui Rñi Antistites linguae tum hispanicae tum lusitanicae. Et ad augendum cultum Sanctorum et Beatorum Americae Latinae, cum eorum haberi non possint Litaniae, voluerunt ut opportuno tempore oratio aliqua conscriberetur, Apostolicis indulgentiis

ditanda, in qua expressa mentio fieret omnium Coelestium patronorum et protectorum eiusdem Americae Latinae. Deinde discussum est cap. XII eiusdem tituli IV, et praevis modificationibus et additionibus admissis pariter probatum est. Denique incoepit disquisitio tit. V *De Sacramentis*, cuius cap. I similiter cum modificationibus et additionibus admissis adprobatum est.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA SEXTA.

Dominica, die 18 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rño Archiepiscopo Portus Principis, Delegato Apostolico illius diei, qui denuntiavit Ven. Capitulum Archibasilicae Lateranensis Rños Patres invitasse ad solemnitatem Praecursoris Domini. Rñi Patres assistentiam ad primas Vesperas decreverunt. Post haec actum est de cap. II tit. V *De Sacramentis*, et praevis modificationibus et additionibus admissis, cum inscriptione ad Appendicem Concilii nonnullorum decretorum S. Sedis circa baptismum in locis ubi non habetur parochus, adprobatum est.

SESSIO SOLEMNIS SEXTA.

Feria IV, die 21 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, convenerunt in aula Conciliari Rñi Patres cum Consultoribus, Notariis et aliis, praeside ad honorem Eño ac Rño Cardinali Dominico Ferrata, a SS. D. N. deputato. Missam celebravit de S. Aloysio Gonzaga Rñus Archiepiscopus Quitensis. Post Missam, Rñus Archiepiscopus Portus Principis, praeses ut supra, ad altare accessit. Omnia peracta sunt ut in aliis sessionibus sollemnibus. Et dicto: *Extra omnes*, decreta quae continentur a cap. VI ad cap. XII tit. IV *De Cultu divino*, et in cap. I et II tit. V *De Sacramentis*, cum admissis modificationibus et additionibus, solemniter publicata, adprobata et promulgata sunt. Crastina die, Rñi Patres assistent Consistorio publico in Palatio Vaticano, ideoque non habebitur Congregatio generalis.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA SEPTIMA.

Feria VI, die 23 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rñi Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rño Archiepiscopo S. Salvatoris Bahiae, Primate in Brasilia,

Delegato Apostolico illius diei. Ex Summi Pontificis concessione, votis Episcoporum huius Concilii annuentis, adfuit prima vice ut Praeses ad honorem Eius Cardinalis Vives (iam Consultor Concilii sub nomine P. de Llevaneras). Actum est de cap. III et IV, tit. V *De Sacramentis*, et, dilata discussione art. 532, adprobata sunt cum modificationibus et additionibus admissis.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA OCTAVA.

Sabbato, die 24 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo S. Salvatoris Bahiae, Primate in Brasilia, Delegato Apostolico illius diei; praesente Esm̄o Cardinali Vives, ut supra. Iterum actum est de art. 532, et adprobatus est. Deinde facta est discussio cap. V et VI tit. V *De Sacramentis*, quae cum modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Tandem dies 4 Iulii assignata est ad exequias pro Episcopis defunctis totius Americae Latinae, solemnī ritu celebrandas.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA NONA.

Dominica, die 25 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo de Durango, Delegato Apostolico illius diei; praesente Esm̄o Cardinali Vives, ut supra. Voluerunt Rm̄i Patres brevitatis causa, ut decreta discussioni proposita deinceps nou ex integro legerentur, sed ut quotidie designaretur numerus articulorum ex Schemate in sequenti congregatione discutendorum, qui si placuerint, cum observationibus, modificationibus et additionibus admissis adprobarentur, exclusa integra lectione articulorum haud modifierum. Actum est postea de cap. VII et VIII, tit. V *De Sacramentis*, usque ad art. 594, quae adprobata sunt cum modificationibus et additionibus admissis.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA.

Feria II, die 26 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo de Durango, Delegato Apostolico illius diei; praesente Esm̄o Cardinali Vives, ut supra. Actum est de fine cap. VIII tit. V *De Sacramentis*, de cap. unic. tit. VI *De Sacra-*

mentalibus, de tit. VII *De institutione Clericorum*, et de cap. I et II tit. VIII *De vita et honestate Clericorum*, et admissis plurimis modificationibus et additionibus, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA PRIMA.

Feria III, die 27 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo de Durango, Delegato Apostolico illius diei; praesente Esm̄o Card. Vives, ut supra. Indicta est sessio sollemnis ad diem 29, Sanctis Apostolis Petro et Paulo sacram. Actum est de cap. III, IV, V, VI, VII tit. VIII *De vita et honestate Clericorum*, et de cap. I et II tit. IX *De Catholica institutione iuventutis*, et praeviis modificationibus et additionibus admissis, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA SECUNDA.

Feria IV, die 28 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̄o Archiepiscopo de Durango, Delegato Apostolico illius diei; praesente Esm̄o Cardinali Vives ut supra. Actum est de cap. III tit. IX *De Catholica institutione iuventutis*, et de cap. I, II, III, IV, V, VI, VII tit. X *De Doctrina Christiana*, quae, praeviis modificationibus et additionibus admissis, adprobata sunt. Voluerunt Rm̄i Patres ut, ratione sollemnitas, per horam tantum fieret lectio decretorum in sessione sollemni crastina die promulgandorum.

SESSIO SOLEMNIS SEPTIMA.

Feria V, die 29 Iunii 1899, hora nona cum dimidio, in Aula Conciliari convenerunt Rm̄i Patres cum Consultoribus,*Notariis et aliis, praeside Rm̄o Archiepiscopo Bonaërensi, Delegato Apostolico illius diei. Missam celebravit de sanctis Apostolis Petro et Paulo Rm̄us Archiepiscopus Portus Principis. Servato Caeremoniali et dicto: *Extra omnes*, lecta per horam, publicata, adprobata et promulgata sunt decreta cap. III et sequentium tit. V *De Sacramentis*, tit. VI *De Sacramentalibus* et tit. VII *De institutione Clericorum*.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA TERTIA.

Feria VI, die 30 Iunii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̃i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̃o Archiepiscopo Bonaërensi, Delegato Apostolico illius diei; praesente Efm̃o Cardinali Vives, ut supra. Actum est de cap. VIII et IX tit. X *De Doctrina Christiana*, et de cap. I tit. XI *De zelo animarum et caritate Christiana*, quae cum modificationibus et additionibus admissis adprobata sunt. Deinde res fuit de cap. II et III; et voluerunt Patres ut eorum loco caput fieret unicum inscribendum: *De varia personarum conditione*, plane respondens desideratis et observationibus in discussione productis.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA QUARTA.

Sabbato, die 1 Iulii 1899, hora nona, in Aula Conciliari convenerunt Rm̃i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̃o Archiepiscopo Bonaërensi, Delegato Apostolico illius diei; praesente Efm̃o Cardinali Vives, ut supra. Iterum actum est de novo cap. II sub titulo: *De varia personarum conditione* (et habita mente Reverendissimorum Patrum, redactio dicti novi capituli opportune facta et adprobata est). Deinde res fuit de cap. IV, V, VI, VII, VIII tit. XI *De zelo animarum et caritate Christiana*, quae, praevis modificationibus et additionibus admissis, adprobata sunt.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA QUINTA.

Dominica, die 2 Iulii 1899, in Aula Conciliari convenerunt Rm̃i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̃o Archiepiscopo Montisvidei, Delegato Apostolico illius diei; praesente Efm̃o Cardinali Vives, ut supra. Lectae sunt, omnibus stantibus et reverenter ac lactanter audientibus, Litt. Apost. SS. D. N. Leonis PP. XIII, quibus respondit Epistolae Synodicae Patrum Concilii Plenarii, quae honoris causa positae sunt in principio Actorum, pag. xviii, quamvis pro insertis habendae sint in actis praesentis congregationis generalis. Deinde res fuit de statu Collegii Pii Latini Americani, et de valido auxilio ipsi praestando. Postea facta est discussio cap. IX tit. XI *De zelo*

animarum et caritate Christiana, dilata ad proximam congregationem adprobatione.

CONGREGATIO GENERALIS VIGESIMA SEXTA.

Feria II, die 3 Iulii 1899, hora nona, in aula Conciliari convenerunt Rm̃i Patres cum Consultoribus et Notariis, praeside Rm̃o Archiepiscopo Montisvidei, Delegato Apostolico illius diei; praesente Efm̃o Cardinali Vives, ut supra. Actum est iterum de cap. IX tit. XI *De zelo animarum et caritate Christiana*, quod praevis modificationibus et additionibus admissis adprobatum est. Praevis similiter emendationibus et additionibus, adprobati sunt tit. XII *De modo conferendi ecclesiastica Beneficia*, et tit. XIII *De iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia*.

EXEQUIAE SOLEMNES PRO DEFUNCTIS EPISCOPIS.

Feria III, die 4 Iulii 1899, hora nona cum dimidio, Concilium Plenarium exequias solemnes celebravit pro animabus omnium Episcoporum Americae Latinae; praesente Efm̃o Cardinali Vives. Missam de requie cantavit Rm̃us Archiepiscopus Montisvidei, et sequentem orationem funebrem pronuntiavit Reverendissimus Episcopus S. Ludovici de Potosi:

Ossa eorum pullulent de loco suo, et nomen eorum permaneat in aeternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.

(Ecl. XLVI. 14, 15).

« Fateor equidem, Venerabiles Patres Concilii Latino-Americani, me numquam ad finis alacriori animo accessisse. Etenim si pius Augustinus matris parentalibus lacrymosis celebrare minime decere putabat, quomodo nos viros gloriosos et progenitores nostros in Christo laudaturi, planctu et gemitibus sermonem abrumpere audebimus? Quin potius ad rogam istum, in quo ossa eorum pullulant adstantes, cum Chrysostomo clamitemus: *Quasnam vobis, oh beati Apostoli, referemus gratias, qui tantum pro nobis laborastis?*

« Et re quidem vera, si Leo Magnus Principes Apostolorum felicius condidisse hanc Almam Urbem declarat, quam illi quorum studio priora ipsius moenium fundamenta locata sunt, quid de Episcopis illis sanctissimis praedicabimus, qui nedum Petri et Pauli vestigia persequentes, Ecclesias nostras instituerunt, sed etiam ad instar Romuli urbium nostrarum fundamenta iecerunt? Ipsi tamquam agni inter lupos, in Orbem prorsus novum et inexploratum missi, lupos in agnos penitus mutavere. Qui non bellatoris hastam, sed Verbi Dei gladium accipitem vibrantes, innumeras gentes sub Crucis vexillo collegere. Mansuetudine insignes, fortitudine invicti, pacis olivam pastorali pedo innocentes, non armorum vi sed sermonum virtute idola fregere, nemora in civitates, crudelium Numinum delubra in veri Dei templa, iniquas aras humano cruore foedatas, in altaria quibus Iesu Christi sanguis perpetuo funditur transformare, Potentiores et feliciores Orpheo illo Thracio qui (si fabulas veris miscere licet) et rupes, et bellua, et silvas cantu mulcebat, e feris et barbaris tribubus, gentem sanctam et genus electum effecerunt, et corda rupibus duriora, tamquam ceram emollientes, in Spiritus Sancti habitaculum aedificavere.

« Par est, Venerabiles Patres, ut nomen tantorum virorum in aeternum permaneat. Quorum quidem gloria in spirituale eorumdem progeniem et in filios filiorum, et in eos qui ab illis nati sunt, et pertransiit et permanet. Si in Peruvia et Aequatoriali regione illa virginitatis ab initio floruerunt; si Brasiliae maria Lusitanorum martyrum sanguine, et Iaponiae colles Mexicano cruore rubeant, id Decessorum nostrorum sollicitudini et praedicationi tribuendum est. Omnes quidem, et Apostolorum charismata aemulati sunt et Apostolorum nomen meruere. Omnes, forma facti gregis ex animo, caritatis, qua flagrabant, in nosotomiis et brephotrophiis, in xenodochiis et asceteriis ab ipsis conditis, vestigia neque in futuro saeculo delenda reliquere. Multi litterarum laude vel scientiarum peritia, dignitati qua prae-fulgebant duplicem nitorem addiderunt et talia munificentiae vere regiae monumenta exegere, quae neque tempus edax rerum, neque perturbationes populorum, temporis falce nequiores, evertere valuerunt. Nonnulli sceptrum et gladium, haud dam- nando foedere, pastorali baculo iungentes, Ecclesias sapienter,

politias sapientius, viribus additis rexere. Alii denique, pro Christi Sponsae iuribus fortiter dimicantes, sive victoria parta, sive gladiis aut insidiis impiorum occumbentes, posteris pacem et libertatem, anima pro ovibus posita, compararunt.

« Quorum laudes in amplissimo vestro consensu decantaturus, fateor me omnibus artibus contremiscere; non quia de humanitate seu benevolentia vestra diffidere praesumam, sed quia tantae molis ausu me imparem sentio. Nunc primum, a quo tempore Hispani et Lusitani heroes Novum Orbem et Ecclesiae et patriae acquisiverunt, nunc primum dissitarum illarum regionum universi Antistites, in Vaticani Montis fastigio, dexteras iungentes, Orbi veteri (me praecone) enarrare contendunt quae et quanta per quatuor fere saecula et agere et pati valuerunt, sanctissimi illi viri, Latino ex sanguine creti, quos tot gregibus pascendis Spiritus Sanctus constituit Episcopos. Parcite ergo mihi, Venerabiles Patres, si tam ardui facinoris magnitudine perterritus, gradum in ipso limine sistere videor: attamen, venia vestra, incoeptum aggrediar, et Decessores nostros, quibus pacem ad aras precamur, et Apostolos, et sapientes, et doctores, et martyres, et vere animarum et populorum rectores iure merito nominari et fuisse, pro meis viribus ostendere conabor.

I.

« Mirum sane videtur, Venerabiles Patres, quod vix triginta annis elapsis a die memoranda, qua Ligur ille navita Christophorus Columbus, tribus cymbis (quisnam enim easdem naves diceret?) Oceano lecto, novum Orbem ab undis emergere fecit, Iulius II ad insulas et S. Dominici et Portus Divitis (an. 1512) geminos miserit Episcopos. Nec mora: post septennium (an. 1519) Leonis Decimi iussu, vir sanctissimus Iulianus Garcés ad Iucatanaenses appulit oras; et, ultra Tlaxcallam pergens, novae urbis moenium fundamenta ab Angelis, ipsis designata iecit, unde illam *Angelopolin* veteres dixere coloni. Nec minus de animarum salute sollicitus Adrianus VI (anno 1522) nimis eheu! pulchram Cubam antistite donavit; et Clemens VII (anno 1527) virum seraphicum Ioannem de Zumarraga, *ex angulo sui Franciscani instituti extractum*, primum Mexicanorum constituit Episcopum, et (1530) Rodericum de Bastida Venezuelae sedi pra-

fecit. Neque Paulus III, longo quindecim annorum pontificatu, gregibus nuper natis providere desit, quo regnante insignes Guatimalae et Limana, et Quitensis sedes creatae, et viri vere apostolici ad ipsas regendas missi fuerunt. Quid plura? Idem saeculum XVI vix medium iter erat praetergressum. cum et Brasilia et Chilianorum extrema regio suos iam habebant Episcopos, et multae aliae minoris ponderis sedes, tam in insulis quam in toto continenti, non amplius ignoto nec inexplorato, et conditae fuerant et augebantur.

« Quid sibi vult, Venerabiles Patres, mirifica haec Ecclesiae operositas nullo alio prorsus aevo superata vel superanda? Omnia quidem in laudem cedere, laud invitus fateor, Summorum illorum Pontificum, domibus Medicea et Farnesia, qui pietati sacerdotii regiam munificentiam et scientiarum, litterarum et bonarum artium studium iungentes, nihil antiquius habebant, quam Christi nomen, simulque avitam urbanitatem ad ultimas terras extendere. Quorum tamen nobilissima conamina irrita forsitan evasisset, nisi (ut verbis laudati Ioannis de Zumarraga utar) divinae Bonitati placuisset Hispaniarum Regnis adeo celebres praeficere heroes, qui nedum barbaricos enses e medio effugarent, verum sui patrimonii ac vitae prodigi facti, remotissimas et incognitas penetrarent regiones, ac Idololatriae monstro inde sublato, Evangelium vitae, Crucis vexillo hinc inde triumphante, Christianorum magna stipante caterva, late diffuseque plantarent. Quorum cura revera fuit ut omnes gentes eandem orthodoxam fidem profiterentur, et universus orbis ad unius veri Dei cultum redigeretur. Ob hoc quippe, innumeras rates maris procellis exposuere; ob hoc regnorum suorum thesauros, nec assem mundani lucri inde sperantes, saepissime proiecerunt. Quorum quidem virtutes Lusitaniae Reges aemulantes, et in Indiis Orientalibus et in Sinarum coloniis, et in Occiduis Brasiliae plagis, viros apostolicos Episcopos constitui curaverunt.

« Ne miremini, igitur, Venerabiles Patres, si Petrus Fernandez Sardinia in praedicta Brasilia, et Rodericus Bastida in Venezuela, et Martinus de Calatayud in Columbia, et Hieronymus de Loaysa in Peruvia, et Garzia Diaz in Aequatoriali regione vere Apostolos se praebuerint, et Pauli vestigiis inhae-

rentes, *in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate*, vitam transegerint. Quod de paucis praedico, de universis Ecclesiarum nostrarum conditoribus dicendum est: quippe qui patriae fines, et arva linquebant paterna, non turpis quaestus causa, sed ut animas Christo lucrifacerent, non ad superbas gentes debellandas, sed vineam Domini proprio sanguine, vel saltem sudoribus irrigaturi.

« Unum igitur alterumve laudantes, universos illos viros gloriosos pariter laudamus; omnes simul extollentes, et singulos extollimus. Verumtamen, ne aegre feratis ut de aliquibus praesertim sermonem faciam. Nec enim de rebus a te gestis silere fas esset, Ioannes de Zumarraga, Mexicani Archiepiscopus et pater et conditor. Mihi te persequi videor per montes et valles, per anfractus et colles, martyrium frustra, errantes oves sub manus quaerentem. Miror te, primum omnium torcularia et typos ad libros escudendos ex Hispali in Orbem Novum trans Oceanum vehementer. Gratias maximas ago Deiparae Virgini quae te singularibus charismatibus cumulavit, qua duce, prima percelebris Guadalupani Sanctuarii fundamenta iecisti. Obstusco memorans quot collegia, quot scholas pro Indis litteris et bonis artibus erudiendis, brevi temporis spatio condideris. Horresco denique referens qua malitia, qua ingratitude, qua iniuria aevi nostri pseudo-sapientes, te falso accusaverint quod nedum idola everteris, sed aboriginum monumenta, sive stylo exarata, sive affabre sculpta, nescio quo fanatico furore actus combusseris; te, inquam, litterarum et cultorem et patronum, te, et Indorum et Hispanorum vere patrem et ducem.

« Quis ex vobis, VV. PP., res pulcherrime gestas ab apostolico viro Bartholomaeo de las Casas, secundo Chiapensi Antistite ignorat? Sacerdotii plenitudine nondum auctus ipse primus, primum in toto Novo Orbe Missae sacrificium litare meruit. Ad episcopalem dignitatem evectus, apud Hispaniae Reges Indorum patronum sese constituit; quorum tanto ardore tantaque facundia causam egit, ut nomen aeternum in universo mundo sibi comparaverit.

« Minus fortasse vobis notus alter Mechoacanensis Antistes, vir venerabilis Vasquez de Quiroga. Sicut Ambrosius Mediolanum, sic ille in Novam Hispaniam non ut Episcopus, sed civilis